SYLVESTER II. PONTIFEX ROMANVS.

SYlueſter ille apud Belgas in inferiori Germania natus, atque Gerpertus dictus fuit. Is fœlici ingenio præditus à teneris annis liberalibus artib. operam dedit, & in uirum doctiſsimũ euaſit. Erat enim philoſophus, Mathematicus, & Theologus nulli ſuo tempore in Germania ſecundus. Itaq; Otto 2. Imperator hunc filio ſuo Ottoni 3. præceptorẽ elegit, atq; in optimis diſciplinis erudiẽdum tradidit. Habebat Gerpertus inter alios diſcipulos Herbertum magna familia natum, qui poſtea Colonienſis pręſul & primus eius loci elector conſtitutus fuit. Hinc factũ ut Gerpertus ob doctrinam & tot clarorum principum educationem magnam autoritatem ſibi compararit. Cum itaq; poſtea Otto 3.